



~~17~~  
EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

V-1

SIGNAT. MDCCCXXIII.

PRORECTOR  
 ACADEMIAE VITEMBERGENSIS,  
**IO. CHRISTOPH.**  
**VVICHMANSHAUSEN,**  
 LNIGVAE SANCTAE, ET RELIQUARUM  
 ORIENTALIUM PROF. PUBL.

*CIVIBVS ACADEMICIS*  
 S. P. D





**T**a vicisfitudo vitae est, quasi homines ludant tesserais, et vario talorum iactu, varietatem fortunae experiantur. Nam remissio illa animi ludusque delectat quidem, sed persaepe ludentes fallit, et lucrum victoriamque sperantibus, nonnunquam infaustum omen praebet. Secus fieret, si fortuna in arbitrio ludentium posita esset, humanasque res, perinde ac homines optant, constitueret ac definirer. At vitium illud humanae indolis est, quod de futuris non recte iudicat, et felicitatem plerumque ex ingenio fingit, atque ab his initiis confidentiae causas ducit. At non ea, nec temeraria cogitatio fuit IOANNIS GODEFREDI KEMPFII, iuvenis solertissimi, et rerum naturalium scientia, bonarumque artium et literarum doctrina praestantissimi, Civis nostri elegantiamoris nobilissimi, quem diligentia, studio, et celeritate ingenii cum selectissimis civibus conferendum arbitramur. Cum enim multi affectent eruditionis laudem, et prae se ferant sapientiam, tum KEMPFIVS inter hos praecipue numerandus est, quem nulli labores, quos discendi causa pertulit, frangere potuerunt. Quibus rebus ad eum honoris locum pervenit, quem periti artis, quos Candidatos dicimus, cum laude tenent. Prope erat, ut inter primores eruditi

diti coetus federet, et parentem studiorum ornaret, familiamque fulciret, et matrem, singulari vitae sanctimonia matronam, gaudio perfunderet, viduamque hac laudis suae accessione potissimum consolaretur. Sed spe et opinione sua mater felicissima, repente evasit infelicissima, et filium in aetatis flore, atque curriculo laudis ad summa nitentem desiderat, et contra mortalitatis ordinem, contraque votum iusta facere, monumentumque ponere filio, immature, et quodammodo intempestive defuncto, necesse habet. O miseram vitae rationem, si haec nascendi conditio est, ut filii tam probi, quam eruditi, et omni adeo virtute exculsi, de matrum complexu, non minori familiae, quam reipublicae damno, abstrahantur. Nemo est, quin graviter ferat hunc casum, nemo inter nos versatur, quin matris vicem doleat, quae praesidium domus suae amisit, nec plus in rebus humanis amittere potuit, quam filium, quem unice dilexit, charumque habuit, cuius vitam, mores, studia omnes probarunt. At enim vero non renovandus, sed mitigandus est matronae dolor, quando pietas non finit, ut maximo rerum humanarum moderatori obsistamus, plagasque acceptas pro indignandi causis habeamus. Ceterum nobilissimus iuvenis A. cl. Iac LXXIX. Sextili mense, hac in vrbe natus est, patre viro senatorii ordinis prudentissimo, ABRAAMO KEMPFIO, negotia-

goriatore, dum viveret, florentissimo, matrē ornatissima, *Anna Iustina Heber-*  
*na*, exquiritae virtutis, et recte usqueque exempli matrona. Paulo post  
 ad sacrum fontem admotus, et Christiano ritu lotus, utrisque parentibus cura  
 fuit, neque in officio suo cessavit avus Cos. Amplissimus, *Georgius He-*  
*berus*, qui ab anno praefertim quarto et octogesimo, quo pater decesserat,  
 omni cura effecit, ut propter docilitatem et industriam, praecipua huius  
 nepotis ratio haberetur. Nec avia muneri suo defuit *Anna Iustina*, matrona  
 consularis, rarum pietatis et pudicitiae exemplum. Praeterea auctoritate,  
 consilio, opera, re praesto fuit frater Viduae, Nobilissimus Vir, *D. Georgius*  
*Michael Heberus*, Iureconsultus longe celeberrimus, nuper admodum, nec  
 sine nostro, et Academiae dolore mortuus, qui id necessitudini eius indo-  
 lique tribuendum ratus, patris in educando vicarium gessit, exemploque  
 illum suo confirmavit. Partes eius recte instituendi demandatae sunt Viris  
 Clarissimis, *M. Iohanni Peiskero*, scholae huius oppidanae Rectori, & *M. Vinckel-*  
*manno*, ibidem Prorectori, quorum doctrinam, fidem, industriam, merito  
 praedicavit. Grato enim fuit animo, et praeter hos, in praeceptorum nume-  
 ro habuit iuxta atque coluit, *CL. M. Io. Christianum Rudigerum*, qui bonis  
 artibus literisque cum erudit, et officii identidem commonefecit iuven-  
 nem, cui ipse morem gessit ultro, et a malorum grege se disunxit con-  
 stanter. Inde in tabulas Academiae relatus est anno dō Ioc XCVI. et nihi-  
 lo secius faciendum sibi existimavit, cum agnatus, de quo dixi, tanquam pa-  
 terno amore ac benevolentia cum tueretur. Amplissimo Ordinis nostri  
 Professori, et alumnorum principalium Ephoro gravissimo, *Köbrenseo*, non  
 vulgaris doctrinae partem retulit acceptam. Tum se ad Professores *Schwarz-*  
*fleischium*, et *Bergerum*, adiunxit, inprimis *M. Rudigero* privatim usus est, qui  
 omne tempus in eo orando consumpsit: deinde A. dō Ioc XCIIIX. Lipsiam se  
 contulit, et ibi cum esset, signa haud obscuriora laboris ac diligentiae ostendit. In-  
 ter Philosophos Professore *Hardium* audivit sedulo, et sectatus est: Medicos  
 sibi devinxit Duumviros, et duces artis celeberrimos *D. Bohnium*, et *D. Peter-*  
*mannum*. Lipsia reversus, *D. Roschelium* sibi devinxit, eumque philosophiae natu-  
 ralis studium ingrediendi multo dexterrimum auctorem habuit, et eiusdem  
 doctrinae causa accessit ad *D. Hauberum*, ac sibi diligentiae peperit laudem. Mox  
 ad publicos, celeberrimosque rei Medicae doctores se convertit, et Archiatros  
 Regium, ac principalem *Anhaltinum*, *D. Bergerum* seniore, et *D. Sperlingium* af-  
 finem, quotidie adiit, et libenter admissus est, profectique naviter, atque adeo  
 impetravit in beneficio et gratia, ut sub auspicio secundi Academiae seculi, in  
 summo dignitatis Academicae gradu constitueretur, doctoreque artis renuncia-  
 retur. Sed ne id fieret, iratiore fato morbus, nec opinanti fatalis funestus-  
 que impedit, Nunc, qualis fuerit KEMPFIVS, quemadmodum Deo et paren-  
 tibus honorem exhibuerit, quantum erga omnes studium in vitae officis de-  
 claraverit, qua voluntate et constantia praeceptores colendos putaverit, quo-  
 modo denique neminem offenderit, aut leviter commoverit, intellexistis, Cives.  
 Restat, ut de exitu cognoscatis, et mortem vitae consentaneam, ac sine morien-  
 tis molestia fuisse, accipiatis, quippe qui in morbo, quo vires tandem deletae sunt,  
 pietatem venerando sacerdoti, *M. De Vredigio*, cui magna salutaris doctrinae co-  
 pia est, summa animi constantia confirmavit, testatumque esse voluit, unum il-  
 lud migraturo sibi in votis esse, ut humanae fragilitatis errores, ab hoc divinae  
 voluntatis interprete, condonentur. In hac spe fecit, atque in numerum coele-  
 stium receptus, felicem olim in vitam meliorem reditum expectat. Reliquum  
 est, Cives, ut ea, quae in vestrum ordinem conveniunt, suprema Commilitoni offi-  
 cia persolvatis, atque ea nobilissimis, praecipue Heberianis et Sperlingianis neces-  
 situdinibus, vel leniendi doloris materni causa, tribuatis. Funus ab H. II. ex  
 aedibus KEMPFIANIS efferetur. P. P. DOMINICA CANTATE,

A. R. S. M. DCQ II.



Ung.

VI 1

= [Occasionalia Vol. 2.  
= Fumeralia K.-R.]

X.285598A

W 17  
W 18





PRORECTOR  
 ACADEMIAE VITEMBERGENSIS,  
 IO. CHRISTOPH.  
 VVICHMANSHAUSEN,  
 LNIGVAE SANCTAE, ET RELIQVARUM  
 ORIENTALIUM PROF. PUBL.

*CIVIBVS ACADEMICIS*  
 S. P. D

